

8705

NJ
Catechismus
vclm

90-

CATECHISMUS

MINOR

RECENSITUS

IN USUM TYRONUM


COLLEGII NEO-CÆSARIENSIS.

Philadelphie:

Excudebat JANA AITKEN,

.....

A. D. M, DCCC, III.



CATECHISMUS MINOR.

Quæstio. *Quis hominis finis est præcipuus.*

Responsio. Præcipuus hominis finis est, Deum glorificare, eodemque frui in æternum.

Q. *Quam nobis regulam dedit Deus, quâ nos ad ejus glorificationem ac fruitionem dirigamur?*

R. Verbum Dei (quod Scripturis Veteris ac Novi Testamenti comprehenditur) est unica regula, quâ nos ad ejus glorificationem ac fruitionem dirigamur.

Q. *Quid est quod Scripturæ præcipuè docent?*

R. Duo imprimis sunt quæ Scripturæ docent, quid homini de Deo sit credendum, quidque officii exigat ab homine Deus.

Q. *Quid est Deus?*

R. Deus est Spiritus, essentiâ, sapientiâ, potentiâ, sanctitate, justitiâ, bonitate ac veritate, infinitus, æternus, ac immutabilis.

Q. *Suntne plures uno Deo?*

R. Unus est unicusque, vivens ille verusque Deus.

Q. *Quot sunt personæ in Deitate?*

R. In Deitate personæ tres sunt, Pater, Filius ac Spiritus Sanctus, suntque hæ tres personæ Deus unus, substantiâ eâdem, potentiâ ac gloriâ cœquales.

Q. *Quid sunt decreta Dei?*

R. Decreta Dei sunt æternum ejus propositum secundum voluntatis suæ consilium, quo, quicquid unquam evenit, propter suam ipsius gloriam, præordinavit.

Q. *Quomodo decreta sua exequitur Deus?*

R. Deus exequitur decreta sua creationis operibus ac providentiæ.

Q. *Quid est opus creationis?*

R. Opus creationis est quo Deus, per verbum potentie suæ, omnia, sex dierum spatio, ex nihilo condidit, atque omnia quidem valde bona.

Q. *Qualem creavit Deus hominem.*

J 238.5

C 357a

V AULT

R. Deus hominem creavit marem ac fœminam, juxta suam ipsius imaginem, in cognitione, justitiâ, ac sanctitate, dominium habentem in creaturas.

Q. *Quenam sunt opera Divinæ Providentiæ?*

R. Providentiæ Divinæ opera sunt sanctissima Dei, sapientissima, potentissimaque creaturarum suarum omnium, earumque actionum, conservatio et gubernatio.

Q. *Quem peculiarem providentiæ suæ actum exercebat Deus circa hominem in statu creationis suæ existentem.*

R. Postquam Deus hominem condidisset, inivit cum illo fœdus vitæ, sub conditione perfectæ obedientiæ, esu de arbore scientiæ boni malique, sub pœnâ mortis eidem interdicens.

Q. *An vero primi nostri parentes in quo creati fuerant statu persistere?*

R. Primi parentes voluntatis suæ libertati permissi, peccando in Deum, statu in quo creati fuerant exciderunt.

Q. *Quid est peccatum?*

R. Peccatum est defectus quilibet conformitatis cum lege divinâ, seu quævis ejusdem transgressio.

Q. *Quodnam erat peccatum istud quo primi parentes, statu in quo creati fuerant exciderunt?*

R. Peccatum istud, quo primi parentes statu in quo creati fuerant exciderunt, erat comestio fructus interdicti.

Q. *Totumne genus humanum cecidit in primâ Adami transgressione?*

R. Quandoquidem fœdus cum *Adamo* ictum fuerat non suo tantum, sed et posterorum suorum nomine; exinde factum est, ut totum genus humanum ab illo generatione ordinariâ procreatum, in eo peccaverit, cumque eo ceciderit, in primâ ejus transgressione.

Q. *In quem vero statum præcipitavit lapsus iste humanum genus?*

R. Lapsus iste humanum genus in statum peccati ac miseriæ præcipitavit.

Q. In quo consistit status illius in quem lapsus est homo peccaminositas?

R. Status in quem lapsus est homo peccaminositas consistit in reatu primi illius peccati, quod Adamus admisit, in defectu originalis Justitiæ totiusque naturæ corruptione, quod *Peccatum originale* vulgo dicitur: unà cum omnibus peccatis actualibus exinde profluentibus.

Q. Quæ miseria est illius status in quem homo lapsus est?

R. Universum genus humanum lapsu suo communionem cum Deo perdidit, sub irâ ejus et maledictione est constitutum, adeoque cunctis hujus vitæ miseriis, ipsi morti, inferniq̄ue cruciatibus in æternum est obnoxium.

Q. An vero Deus humanum genus universum in statu peccati ac miseriæ periturum dereliquit?

R. Deus quum ex mero suo beneplacito nonnullos ad vitam æternam ab omni retro æternitate elegisset; fœdus gratiæ cum eis iniit, se nempe liberaturum eos e statu peccati ac miseriæ, atque in statum salutis per redemptorem translaturum.

Q. Quis est Redemptor electorum Dei?

R. Dominus Jesus Christus est electorum Dei Redemptor unicus, qui æternus Dei filius quum esset, factus est homo, adeoque fuit, est, eritque <sup>Θεω-
λογικος</sup>, e naturis duabus distinctis persona unica in sempiternum.

Q. Qui autem Christus, filius Dei quum esset, factus est homo?

R. Christus filius Dei factus est homo, dum corpus verum, animamque rationalem assumpserit sibi, vi Spiritus sancti in utero, eque substantiâ virginis Mariæ conceptus, et ex eâdem natus, immunis tamen a peccato.

Q. Quæ munera Christus, ut Redemptor noster, obit?

R. Christus quatenus Redemptor noster obit munera Prophetæ, Sacerdotis ac Regis, cum in humiliationis, tum in exaltationis suæ, Statu.

Q. Quomodo Prophetæ munere defungitur Christus?

R. Christus defungitur Prophetæ munere, voluntatem Dei in salutem nostram, nobis per verbum suum spiritumque revelando.

Q. Quâ ratione exequitur Christus munus Sacerdotis?

R. Christus exequitur Sacerdotale munus, semetipsum, semel in sacrificium offerendo, quo justitiæ divinæ satisfaceret, nosque Deo conciliaret, prout etiam perpetuo pro nobis intercedendo.

Q. Quâ ratione exequitur Christus munus regium?

R. Christus exequitur munus regium, nos sibi subjugando, nos gubernando tuendoque, ut etiam hostes omnes suos, nostrosque coercendo ac debellando.

Q. In quo consistit Christi humiliatio?

R. Humiliatio Christi in eo consistit, quod fuerit natus, et quidem humili conditione, factus sub lege, quodque vitæ hujus miserias, iram Dei, mortemque crucis execrabilem subierit; quod sepultus fuerit, et sub potestate mortis aliquamdiu commoratus.

Q. In quo consistit Christi exaltatio?

R. Exaltatio Christi consistit in Resurrectione ejus a mortuis tertio die, ascensu in cælum, sessione ad dextram Dei patris, adventu ejus ad mundum judicandum die novissimo.

Q. Quâ ratione participes efficimur redemptionis per Christum acquisitæ?

R. Redemptionis per Christum acquisitæ participes efficimur ejusdem nobis efficaci per Spiritum ejus Sanctum applicatione.

Q. Quomodo nobis applicat Spiritus redemptionem per Christum acquisitam?

R. Spiritus nobis applicat redemptionem per Christum acquisitam, fidem in nobis efficiendo, ac per eandem nos Christo in vocatione nostrâ efficaci uniendo.

Q. Quid est Vocatio efficax?

R. Vocatio efficax est spiritus Dei opus, quo nos peccati nostri miseriamque arguens, mentes nostras cognitione Christi illuminans, voluntates nostras re-

novans, prorsus nobis persuadet, et vires sufficit, ut Jesum Christum amplectamur, gratuito nobis oblatum in Evangelio

Q. Quænam beneficia in hac vitâ consequuntur ii, qui sunt vocati efficaciter?

R. Qui vocati sunt efficaciter, Justificationem, Adoptionem, et Sanctificationem in hac vitâ consequuntur, una cum omnibus iis beneficiis, quæcunque solent in hac vitâ comitari illas, aut ab iisdem promanare.

Q. Quid est Justificatio?

R. Justificatio est actus gratiæ Dei gratuitæ, quo peccata nobis condonat omnia, nosque tanquam justos in conspectu suo accipit, propter solam Christi justitiam nobis imputatam, ac per fidem tantum apprehensam.

Q. Quid est adoptio?

R. Adoptio est actus gratiæ Dei gratuitæ, quo in numerum recipimur, ac jus obinemus ad omnia privilegia filiorum Dei.

Q. Quid est Sanctificatio?

R. Sanctificatio est opus gratiæ Dei gratuitæ, quo in toto homine secundum imaginem Dei renovamur, et potentes efficimur, qui magis indies magisque peccato quidem moriamur, justitiæ autem vivamus.

Q. Quænam sunt illa beneficia quæ Justificationem, Adoptionem et Sanctificationem in hac vitâ vel comitantur, vel ab eis promanant?

R. Quæ Justificationem, Adoptionem, ac Sanctificationem, in hac vitâ, vel comitantur, vel ab eis promanant beneficia, sunt certitudo amoris Dei, pax conscientiæ, gaudium in Spiritu Sancto, gratiæ incrementum, in eâque ad finem usque perseverantia.

Q. Quænam a Christo beneficia in morte percipiunt fideles?

R. Animæ fidelium in morte fiunt perfectè sanctæ, ac protinus in gloriam transferuntur; corpora vero usque Christo unita, in sepulchris, ad resurrectionem usque quiescunt.

Q. Quæ tandem beneficia a Christo percipiunt fideles in resurrectione?

R. In resurrectione fideles, suscitati in gloriâ,

palam agnoscentur et absolventur in die iudicii, fientque perfectè beati plenâ Dei, in omne æternum, fruitione.

Q. *Quid autem officii ab homine exposcit Deus?*

R. Officium, quod ab homine exposcit Deus, est obedientia voluntati ejus revelatæ exhibenda.

Q. *Quid homini primum revelavit Deus quod foret ipsi obedientiæ regula?*

R. Obedientiæ regula, quam Deus homini revelavit, erat Lex Moralis.

Q. *Ubinam summatim comprehenditur, Lex Moralis?*

R. Lex Moralis summatim comprehenditur in Decalogo.

Q. *Dic quænam sit Decalogi summa?*

R. Summa Decalogi est, ut Dominum Deum nostrum toto corde, totâ animâ, totâ mente, totisque viribus nostris diligamus; proximum vero nostrum sicut nosmetipsos.

Q. *Quænam est Decalogi præfatio?*

R. Decalogi præfatio hisce verbis continetur (*ego sum Dominus Deus tuus, qui te eduxi e terrâ Egypti, e domo servitutis.*)

Q. *Quid nos edocet Decalogi præfatio?*

R. Decalogi præfatio nos docet, quod quoniam Deus est Dominus, nosterque Deus ac Redemptor, ea propter præcepta ejus omnia tenemur observare.

Q. *Quodnam est mandatum primum?*

R. Mandatum primum est, (*Non habebis Deos alios coram me.*)

Q. *In mandato primo quod exigitur?*

R. In mandato primo exigitur, ut Jehovam esse unicum illum verumque Deum, Deumque nostrum cognoscamus simul et agnoscamus, atque ut talem colamus, ac glorificemus.

Q. *Quid est prohibitum in mandato primo?*

R. In primo mandato prohibetur veri Dei abnegatio, neglectusque ipsum tanquam Deum, Deumque nostrum, colendi ac glorificandi; prout etiam cultum ac gloriam, illi soli debita, alii cuivis tribuere aut exhibere.

Q. Quid imprimis docemur verbis istis mandati primi (Coram Me?)

R. Verba isthæc (Coram Me) in mandato primo nos docent, Deum, qui omnia intuetur, peccatum alium habendi Deum cum imprimis advertere, tum vero eodem offendi plurimum.

Q. Quodnam est præceptum secundum?

R. Secundum præceptum est, (Non facies tibi imaginem quamvis sculptibilem, aut similitudinem rei cujusvis, que est in Cælis supernè, aut inferius in terris, aut in aquis infra terram: non incurvabis te iis, nec eis servies: siquidem Ego Dominus Deus tuus, Deus sum Zelotypus, visitans iniquitates patrum in filios ad tertiam usque quartamque progeniem Osorum mei, exhibens verò misericordiam ad millenas usque Diligentium me, ac mandata mea Observantium.

Q. Quid exigitur in secundo præcepto?

R. Præceptum secundum exigit, ut cultus omnes, ac instituta religionis, quæcunque Deus in verbo suo constituit, excipiamus, observemus, pura denique ac integra custodiamus.

Q. Quid est quod in secundo præcepto prohibetur?

R. Secundum præceptum interdicat nobis cultu Dei per simulachra, aut aliâ ratione quavis, quam in verbo suo Deus non præscripsit.

Q. Quenam sunt rationes præcepto secundo annexæ?

R. Rationes secundo præcepto annexæ sunt supremum Dei in nos dominium, illius jus in nobis peculiare, Zelusque quo suum ipsius cultum prosequitur.

Q. Age quodnam est tertium mandatum?

R. Mandatum tertium sic habetur (Nomen Domini Dei tui inaniter non insurpabis; non enim eum pro insonte habebit Dominus, qui nomen ejus inaniter adhibuerit.

Q. Quid exigitur in mandato tertio?

R. Mandatum tertium exigit, ut Dei nomina, titulos, attributa, instituta, verba, operaque, sanctè summâque cum reverentiâ adhibeamus.

Q. Quid prohibetur mandato tertio?

R. Mandatum tertium prohibet rei cujusvis, quæ Deus se notum facit, profanationem omnem, ac abusum.

Q. Quenam est ratio subnexa mandato tertio?

R. Ratio mandato tertio subnexa est, quod licet hujus præcepti violatores ab hominibus quandoque nil supplicii ferant, nihilominus tamen Dominus Deus noster eos justum ejus judicium neutiquam patietur subterfugere.

℞. *Recita mandatum quartum.*

R. Mandati quarti verba sunt isthæc, (*Memineris diem Sabbati ut sanctifices eum; sex diebus operaberis, et facies omne opus tuum, septimus vero dies Sabbatum est Domini Dei tui, opus in eo nullum facies, tu, neque filius tuus, neque filia tua, nec servus tuus, nec ancilla tua, neque jumentum tuum, nec boves tuus, quicumque intra portas tuas commoratur: Nam sex diebus perfecit Dominus cælum terramque, mare et quicquid in illis continetur, septimo vero die requievit, quamobrem benedixit Dominus diei Sabbati eumque sanctificavit.*)

℞. *Quid a nobis exigit mandatum quartum?*

R. Quartum mandatum a nobis exigit, ut statutum illud tempus quod in verbo suo designavit Deus sanctum ei observemus, integrum nempe diem e septenis unum in sanctum illi sabbatum celebrandum.

℞. *Ex septenis autem quem diem sabbato hebdomadario designavit Deus?*

R. Deus hebdomadario sabbato designavit septimum diem hebdomadæ ab initio mundi usque ad Christi resurrectionem, exindè verò ad finem usque mundi duraturum, diem septimanæ primum, quod est sabbatum Christianum.

℞. *Quis autem est sabbatum sanctificandum?*

R. Sabbatum est sanctificandum diem illum integrum quiescendo; etiam ab negotiis et recreationibus mundanis, aliis quidem diebus haud illicitis, totumque illud temporis (præterquam quod operibus necessitatis ac misericordiæ insumendum fuerit) cultus divini exercitiis publicis privatisque impendendo.

℞. *Quid prohibetur in mandato quarto?*

R. Mandatum quartum prohibet officiorum quæ inibi requiruntur, cum omissionem, tum præstationem negligentem, prout etiam ejus diei profanationem qualemcunque, sive illum otiosè consumendo, sive quod in se peccatum est faciendo, seu denique circa mundanà negotia vel recreationes, cogitationibus, dictis, factisque non necessariis.

Q. *Quanam sunt quarto præcepto rationes annexæ ?*

R. Rationes quarto præcepto annexæ sunt istiusmodi ; quoniam e septimanâ qualibet sex dies concesserit nobis Deus nostris ipsorum negotiis insumendos, quoniam in septimo jus sibi vindicat peculiare ; quoniam Deus exemplo suo nobis præivit, ac diei sabbati benedixit.

Q. *Quodnam est præceptum quintum ?*

R. Quintum præceptum est hujusmodi (*Honora patrem tuum et matrem tuam, ut prolongentur dies tui in terrâ illâ, quam tibi largitur Dominus Deus tuus.*)

Q. *Quid est quod jubemur mandato quinto ?*

R. Mandatum quintum nos jubet honorem conservare, ac officia persolvere unicuique pro ratione ordinis ac relationis in quibus fuerit exhibenda, seu superior nobis sit, sive inferior, sive denique æqualis.

Q. *Quid est quod mandatum quintum vetat ?*

R. Quintum mandatum vetat honorem officiumque singulis debitum pro ratione ordinis, ac relationis in quibus fuerint, aut negligere, aut adversus ea quicquam machinari.

Q. *Quæ ratio subnectitur quinto præcepto ?*

R. Ratio quinto præcepto subnexa est promissio longævitatatis, prosperitatisque (quatenus nempe Dei gloriæ ipsorumque conducant utilitati) omnibus facta hoc præceptum observantibus.

Q. *Cedo mandatum sextum.*

R. Mandatum sextum hisce verbis comprehenditur (*Non occides.*)

Q. *Quid a nobis exigit mandatum sextum ?*

R. Exigit a nobis mandatum sextum, ut vitam cum nostram, tum aliorum, honestis quibuscunque rationibus tueamur.

Q. *Quid vero prohibet sextum mandatum ?*

R. Sextum mandatum prohibet vitam nobismetipsis, aut injustè proximo vitam adimere, aut quidvis quod eò tendit agere.

Q. *Quodnam est mandatum septimum ?*

R. Mandatum septimum hæc verba complectuntur (*Non machaberis.*)

Q. *Quid exigitur mandato septimo ?*

R. Mandatum septimum exigit ut tam nostram,

quam proximorum castitatem animo, sermone, gestuque, conservemus.

Q. *Quid prohibetur mandato septimo?*

R. Mandatum septimum prohibet cogitationes, sermones, actionesque omnes impudicas.

Q. *Quodnam est præceptum octavum?*

R. Præceptum octavum hoc est (*Non furaberis.*)

Q. *Mandatum octavum quid a nobis exigit?*

R. Octavum mandatum a nobis exigit, facultates ac rem externam nostri, aliorumque ut procuremus ac promoveamus.

Q. *In octavo præcepto quid prohibetur?*

R. Octavum mandatum prohibet quicquid nostris, aut proximorum nostrorum opibus rebusque externis injusto aut est, aut esse possit, impedimento.

Q. *Quodnam est præceptum nonum?*

R. Præceptum nonum sic se habet, (*Non eris adversus proximum tuum testis mendax?*)

Q. *Quid a nobis exigit præceptum nonum?*

R. Præceptum nonum id a nobis exigit, ut veritatem inter homines mutuò, utque bonum nomen et existimationem cum nostri, tum proximorum nostrorum conservemus, ac promoveamus, cum primis vero in ferendo testimonio.

Q. *Quid prohibetur nono præcepto?*

R. Nonum præceptum prohibet quicquid est aut veritati inimicum; aut existimationi cum nostri vel proximorum nostrorum injurium.

Q. *Quale est mandatum decimum?*

R. Mandatum decimum hæc verba exhibent (*Non concupisces Proximi tui Domum, non concupisces Proximi tui uxorem, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, neque aliud denique quicquam quod est proximi tui.*)

Q. *In decimo præcepto quid exigitur?*

R. Præceptum decimum exigit ut sorti nostræ plenè acquiescamus, utque in proximum, et quæcunque sunt ejus debitè, benevoleque afficiamur.

Q. *Quæ prohibentur decimo mandato?*

R. Mandatum decimum prohibet rerumstrarum displicentiam, invidiam ac dolorem de bono proximi, una cum animi nostri motibus et affectionibus circa ea, quæ proximi sunt inordinatis quibuscunque.

Q. *Quisquamne potis est mandata Dei perfectè observare?*

R. Post lapsum nemo extat humanâ tantum naturâ constans, qui mandata Dei perfectè in hac vitâ implere potest, quo minus ea quotidie tum cogitatione, cum dictis factisque violet.

Q. *An vero sunt omnes violationes Legis ex æquo graves?*

R. Peccata sunt nonnulla, aliis, cum suâ naturâ, tum propter varias eorum aggravationes in conspectu Dei graviora.

Q. *Quid est quod meretur peccatum unumquodque?*

R. Unumquodque peccatum iram Dei meretur ac maledictionem, cum in vitâ præsentî, tum in futurâ.

Q. *Quid autem exigit a nobis Deus, quo nobis ob peccatum debitas iram ejus ac maledictionem effugiamus?*

R. Quo iram Dei ac maledictionem ob peccatum nobis debitas effugiamus, exigit a nobis Deus, fidem in Jesum Christum, resipiscentiam ad vitam, unâ cum usu mediorum omnium externorum diligenti, quibus Christus nobis communicat redemptionis suæ beneficia.

Q. *Quid est fides in Jesum Christum?*

R. Fides in Jesum Christum est gratia salvifica, quâ illum recipimus, eoque solo nitimur, ut salvi simus, prout ille nobis offertur in evangelio.

Q. *Quid est resipiscentia ad vitam?*

R. Resipiscentia ad vitam est gratia salvifica, quâ peccator e vero peccati sui sensu, ac apprehensione divinæ in Christo misericordiæ, dolens ac perosus peccatum suum, ab illo ad Deum convertitur, cum novæ obedientiæ pleno proposito et conatu.

Q. *Quenam sunt externa media, quibus Christus nobis communicat redemptionis suæ beneficia?*

R. Media externa ac ordinaria quibus Christus nobis communicat redemptionis suæ beneficia sunt ejus instituta, verbum præsertim, Sacramenta, et oratio; quæ quidem omnia electis redduntur efficacia ad salutem?

Q. *Quâ ratione fit verbum efficax ad salutem?*

R. Spiritus Dei lectionem verbi, præcipuè vero prædicationem ejus reddit medium efficax convincendi, convertendique peccatores, eosdemque in sanctimonio et consolatione ædificandi per fidem ad salutem.

Q. *Quomodo legi debet ac audiri verbum ut evadat efficax ad salutem?*

R. Quo verbum evadat efficax ad salutem, debemus ei cum præparatione, ac oratione, diligenter attendere, idemque fide excipere ac amore, in animis nostris recondere, ac in vitâ nostrâ exprimere.

Q. *Qui evadunt Sacramenta media efficacia ad salutem?*

R. Sacramenta evadunt efficacia ad salutem, non ullâ in ipsis vi, nec in eo qui illa administrat; vero Christi solummodo benedictione, ac spiritus ejus in iis, qui illa per fidem recipiunt, operatione.

Q. *Quid est Sacramentum?*

R. Sacramentum est ordinatio sacra a Christo instituta, in quâ fidelibus per signa in sensus incoherencia, Christus novique fœderis beneficia repræsentantur, obsignantur et applicantur.

Q. *Quenam sunt sacramenta novi Testamenti?*

R. Sacramenta novi Testamenti sunt Baptismus, ac Cœna Domini.

Q. *Quid est Baptismus?*

R. Baptismus est Sacramentum, in quo ablutio per aquam, in nomine patris, ac Filii, ac Spiritus sancti, nostram in Christum insitionem, ut et beneficiorum fœderis gratiæ participationem, pactumque nostrum, nempe Domini futuros esse totos, significat, obsignatque.

Q. *Quibus est Baptismus administrandus?*

R. Baptismus non est administrandus quibusquam extra Ecclesiam visibilem constitutis, donec se in Christum credere, eique obediens fore professi fuerint, verum infantes eorum qui membra sunt Ecclesie visibilis sunt baptizandi.

Q. *Quid est Cœna Domini?*

R. Cœna Domini est Sacramentum, in quo pane ac vino secundum Christi institutum datis acceptisque, mors ejus ostenditur, quæ qui dignè participant, corporis ejus et sanguinis (non quidem corporeo et carnali modo, verum) per fidem sunt participes, omniumque ipsius beneficiorum, ad nutritionem suam spiritualem, suumque in gratiâ incrementum.

Q. *Ut dignè quis participet Cœnam Dominicam quid requiritur?*

R. Qui Cœnam Dominicam dignè cupiunt participare, requiritur ut semet examinent, cum de cogni-

tionē suā, quā corpus Domini valeant discernere, tum de fide suā, quā vescantur ipso, tum etiam de resipiscentiā suā, amore, ac obedientiā novā, ne fortē indigni si advenerint, iudicium edant bibantque sibi-met ipsis.

Q. *Quid est precatio?*

R. Precatio est quā petitiones nostras pro rebus divinæ voluntati congruis offerimus Deo, in nomine Christi, unā cum peccatorum nostrorum confessione, et gratā beneficiorum ejus agnitione.

Q. *Quam nobis regulam præscripsit Deus precibus nostris dirigendis?*

R. Totum Dei verbum utile est nobis in oratione dirigendis; specialis vero directionis norma est illa orationis formula, quam Discipulos suos edocuit Christus, *Oratio Dominica* quæ vulgo dicitur.

Q. *Quid nos docet orationis Dominicæ præfatio?*

R. Orationis Dominicæ præfatio nempe (*Pater noster qui es in Cælis*) nos docet accedere ad Deum cum omni sanctā reverentiā, ac confidentiā, tanquam filios ad patrem, qui et potis est, et paratus nobis opitulari; prout etiam cum aliis atque pro aliis orare,

Q. *Quid est quod oramus in petitione primā?*

R. In Petitione primā, scil. (*Sanctificetur nomen tuum,*) oramus ut efficere velit Deus, ut eum nos aliique, in eis, quibuscunque se notum nobis facit, glorificare valeamus, atque ad suam ipsius gloriam omnia dirigere velit ac disponere.

Q. *Quid petimus in secundā petitione?*

R. In Petitione secundā; quæ hujus modi est (*Adveniat regnum tuum*) petimus ut destruat regnum Satanae, gratiæ vero regnum ut promoveatur, ut nos aliique in eo simus cum constituti, tum conservati ne excidamus, utque regnum gloriæ velit Deus adpropere.

Q. *In petitione tertiā quid precamur?*

R. petitione tertiā, scil. hisce verbis (*Fiat voluntas tua in terris sicut in Cælis*) precamur ut efficere velit Deus, ut nos per gratiam voluntatem ejus tum cognoscere, tum ei in omnibus obtemperare, et nos submittere, id quod in Cælis faciunt Angeli, et valeamus et velimus.

Q. *Quid oramus in petitione quartā?*

R. In quartā petitione, quæ sic habetur (*Panem*

nostrum quotidianum da nobis hodie) oramus ut e donatione Dei gratuitâ, bonorum quæ hujus vitæ sunt portionem idoneam obtineamus, ejusque unâ cum iis benedictione perfruamur.

Q. *Quid precamur in petitione quintâ?*

R. In petitione quintâ, cujus verba sunt (*Ac remitte nobis debita nostra, sicut nos remittimus debitoribus nostris*) precamur ut Deus peccata nostra omnia gratis velit propter Christum condonare, quod quidem ut petamus eo magis animus nobis sit, quod aliis animitus condonare, gratiâ ipsius auxiliante, valeamus.

Q. *Quid petimus in sextâ petitione?*

R. In petitione sextâ, quam hæc verba complectuntur (*ut ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo*) oramus ut velit nos Deus aut immunes a tentatione ad peccatum conservare, aut certè tentatos suffulcire ac liberare.

Q. *Quid nos docet orationis Dominicæ conclusio?*

R. Orationis Dominicæ conclusio (*Quia tuum est regnum, et potentia, et gloria in secula, Amen.*) Nos docet animos ac confidentiam nobis in orando a solo Deo derivare, eumque in pecibus nostris laudare, regnum ei, potentiam, ac gloriam tribuendo, quodque desiderium nostrum testemur, et exauditionis confidentiam, dicimus, *Amen.*